








Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
DECIMA

DE JURE NATURÆ
ET LEGITIMO.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinbothe
Altenburgô-Misnici,

Placidæ disquisitioni


ad diem Julii horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

Gerhardt Klotz Susatensis Westphalus.

RostochI, Literis hæredum Richelianorum,
Anno CIↃ IↃC XXXVI.



Cum Deo!

I.

OPtima Juris apud Ariſtotelem partitio eſt, quâ duplex Jus, aliud φυσικὸν, i. e. naturale, aliud νομικὸν, voluntarium ſeu legitimum, quod etiam τὸ ἐντάξει vocat conſtituitur. Cujus diviſionis veſtigia etiam apud Hebræos apparent, qui cum diſtinctè loquuntur, Jus naturale vocant מצות, Jus legitimum verò חקים. Inde etiam Helleniſtæ prius δικαιώματα, poſterius verò ἐντολὰς ſolent vertere. Conſulto autem alias ſpecialis juris diviſiones ideò omittimus, quod facile ad noſtram reliquæ redigi poſſint.

2. De utroq; autem jure tum naturali tum legitimo brevi & ὡς ἐν τύπῳ agere nobis eſt animus. Quod dum facimus duo de jure naturæ inquirenda eſſe autumamus. 1. An ſit jus naturæ. 2. Quodnam ejus ſubjectum & eſſentia.

3. Fuêre quidem aliqui ante noſtra tempora, qui omne jus hominum opinione conſtare ſeriò affirmarunt, ideo quod nullum jus videatur usq; adeo univerſale, ut apud omnes nationes idem ſit, cum quælibet regio non magis ſuo aëre aut terminis quam ſuis moribus definiatur.

4. Verùm illi ipſi jamdudum rationibus & experientia refutati, & ab emunctioris naris hominibus irriſi ſunt; Cum & Ethnici rudiores non minùs quàm edecumatæ doctrinæ viri cognoverint jus naturæ, *quo, ſine doctrina anticipationem quandam Deorum*, ut Cicero loquitur, *& quæ naturæ conveniant, quæ ſcilicet & nobis & aliis facienda, prænotionem habeamus.*

5. Et quod ita ſeſe, quæ diximus, habeant, poſſemus & ſacrum Codicem & unanimem Theologorum conſenſum, & alias rationes adducere, Sed cum pauci, aut ferè nulli de his, qui-

bus de agimus, dubitent (si tamen quis dubitat in conflictu dissertationis pro iisdem tuendis stare parati sumus) nolumus in iis demonstrandis immorari. Loquatur enim Polynice apud Euripidem:

Hæc sum præfatus, mater haud ambagibus
Implicata, sed quæ regulis æqui & boni
Suffulta rudibus pariter & doctis patent.

Præsupposito itaq;, dari in hominibus Jus naturæ, ad introspiciendam ejusdem naturam & essentiam progredimur, ad quam melius intelligendam, quæramus prius quodnam Juris naturæ subjectum sit statuendum.

6. Quidam summo defendunt conamine, quod & animalia præter hominem Juris naturæ possint esse capacia. Imprimis *Erasmus Ungepauer Disp. 2. q. 1.* non necesse esse ad juris subjectum autumat, ut subinde ratio requiratur, quasi nullum Jus sine ratione esse aut concipi possit. Hinc nostram assertionem tantum cæteris paribus & certo respectu procedere docet, additq; non impropriè in brutis Jus naturæ esse sed propriè: pro qua sententia citat *Gartziam. Coras. de Jur. art. part. 2. c. 3. Ravard. 1. varior. c. 1. Gregor. Lopez libr. sing. animadvers. Albericum Gentilem l. 3. Epist. c. 1.* probatq; suam sententiam 1. ex definitionibus Imperator. & Ulpiani Juris naturæ *l. 1. ff. de J. & J. & Inst. eod. tit.* Sed verba in definitionibus sunt propriè accipienda. *l. Non aliter 69. in pr. de legat. 3.* 2. Leges universæ, inquit, seu omnia jura promanant ab æterna lege. *August. l. 1. de lib. arbitr. & Dom. Soto l. 1. de J. & J. q. 3. art 3.* Ergo etiam Jus naturale quod bestiis tribuitur. Sed lex æterna est summa ratio in Deo existens. *Thomas 22. q. 93. & Dom. Soto d. q. 3. ar. 2.* Ubi autem est ratio ibi propriè loquendo est finis. Ergo etiam propriè loquendo erit jus quod est in brutis.

7. Quidam longè crassius errant à quorum partibus stat Vaconius à Vacuna qui scribere veritus non est arbores & Vegetantia jure naturæ obligari ad producendos fructus & ad generandos sibi alios similes! *1. declarat. 17. n. 2. Item l. 1. declar. c. 1. n. 9.*

quo

quo in effectu tendit *M. Lycama l. 7. M. Eclog. 30.* Credo hinc Vaconium a Vacuna etiamsi fortè quis necessarius naturæ usus ad depositionem superflui ponderis ei imminuerit, prætensurum & dicturum se jure naturæ hoc facere. Egregium certè Jus naturæ Vaconianum !

8. Verum hæc non posse procedere jamdudum perspexère Viri clarissimi, imprimis *Franc. Conanus l. 1. Comment. Juris Civil. c. 6.* ita ut non miretur Vatzquetz quod *Laurentius Valla l. 4. Elegantiar. c. 40.* prædictam sententiam Justiniani & Ulpiani reprehenderit.

9. Nos ut cum his sentimus ita etiam pro iisdem pugnandis ratiocinamur : Quicquid positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, id nulla lege ad secus faciendum potest cogi : Atqui bestiæ positis omnibus ad agendum requisitis non possunt non agere. Ergo. Major ex *Aristot. l. 2. Eth. c. 1.* deprompta & concinnata est, ubi Philosophus dum Virtutes non natura inesse laborat firmare, etiam hanc argutam addit rationem, quod alias frustra leges essent constitutæ : Quid enim, disputat Philosophus ibidem, opus haberent Legumlatores, ut aliquid vel lege sancirent, vel contrarium statuerent, si illud cui legem figunt, aliter non possent agere aut operari. Minor ex *9. Metaph. c. 2.* constat : In quibus enim est naturalis sive irrationalis potentia tantùm, illa naturaliter ad unum oppositorum feruntur, nec aliter positis omnibus ad agendum requisitis possunt agere. Contra verò in quibus libera sive naturalis est potentia illa ad utrumq; oppositorum se indifferenter habent. Sed in brutis est potentia irrationalis tantùm, quod omnes, nisi quibus cerebrum inquinatum, adeoq; helleboro indigent, nobis concedant necesse est. Ergo ad unum saltem oppositorum feruntur.

10. Secundum nostrum argumentum potest esse hoc quod ipse Philosophus *1. pol. c. 2.* implicitè formavit & ex eo adduxit Giphanius & Piccartus *in Comm. Pol. l. c.* Jus & injuria versantur in utili & inutili, h. e. damno & lucro : Bestiæ non versantur in utili & inutili, bestiæ enim nullum habent sensum damni & lucri. Ergo nec in bestias cadit vel jus vel injuria.

Atqui Somo

Idem

11. Idem argumentum ex ipso Imperatore adducit *Hermannus Vultejus in comm ad tit. cit Instit. qui ex l. Si quadrup. paup. fec. dic.* argumentatur, idemq; probat ex Aristotele, cui nescio an satisfaciat responsio *Alberici Gentilis l. 3. lect. 1.* Injuriam generaliter dici omne id, quod non jure fit. *pr. Inst. l. 1. pr. de Injuriis*, & sic brutis tribui posse: quomodo cuculus non fovens pullos suos peccet contra jus naturæ: Siquidem dum Imperator eam injuriam quam ab initio vocant generalem, mox per suas species explicet *d. l. 1. ibi: Specialiter autem.* Unde cum posteriores duæ species procul dubio brutis attribui nequeant, & prima quæ in l. Aquil. attenditur, quoq; ab illis removebitur *d. §. 2. Inst. & l. 1 §. 3. Si quadrup.* ultro sequitur Injuriæ in genere bruta incapacia censeri, uti rectissimè docet Georgius Frantzkius *excert. 1 q. 3.*

12. Nec magis obstat quod perinde videatur injuria æstimari in brutis ut in hominibus ex provocatione; & contra jure factum dici pro ratione defensionis seu propulsationis. *l. 1 §. 11. Si quadrup. paup. fec. dic.* Ubi cum arietes & boves commisissent occiso aggressore cessare dicitur actio noxalis, non minus ac justa defensione homine vim inferente vel læso, perempto. *l. Aquil. & Cornel. l. 3. de J & J. l. 45. § 4. ad l. Aquil. l. 1. §. 27. de vi & vi armata.* Notandum enim actionem illam non competere nisi ubi quadrupes commota feritate *d. l. § 4.* aut lascivia, *princ. Inst. Si quad paup.* sine alterius culpa instigationevè *d. l. 1. §. 8.* nocuit. Unde in specie appositi *§. 11.* liberatur Dominus provocati arietis, qui sese defenderat, non quod injuriam sibi illatam vindicarit, sed quia non nisi ab alio concitatus nocuerit. Unde cum ipso Dominus provocantis arietis damnandus veniat si provocato damnum datum esse, *d. l 1. § 8.* actio ipsi indulgeri non debet si damnum passus sit. Porro quemadmodum nemo dixerit Justitiam esse sine ratione ita nec jus sine ratione esse poterit. Unde est quod bruta animalia, quæ sunt rationis expertia, non solùm juris incapacia sunt sed etiam injuriæ.

13. Gartziam quod concernit, tantum abest ut ad Ungepaurii lapsum collimet ut potius contrarium asserat. Verba ejus

sunt:

sunt: *Jus naturæ non potest adaptari speciei brutorum, quia eorum natura non juris apta n. 8. d. 1. & in n. 9. seq.* subjicit: *Id animadvertas quod propriè jus naturale inest non brutis sed homini. Nam lex vel jus idem est quod ratio & ratio non potest adaptari brutis quæ ratione differunt a nobis. Ita enim ratio,* pergit paulo post, *quæ nobis insita est nihil est nisi impreßio divini luminis in nobis, in brutis autem hæc locum habere nequeunt: Hinc necesse est dicere quod in brutis per participationem & quandam similitudinem jus insit: Per participationem, quia verum est ab illa perpetua regenda ratione, bruta ipsa inclinatione propria ut regulata moveri; Per similitudinem, quia prout ipsa ratione nos movemur ad debitum finem, ita ipsa moventur ab inclinatione propria ad finem distinctum.* Et in n. 45. denuo repetit: *In brutis nullum jus naturæ manet, nisi participativè & similitudinem.* Hinc in n. 10 sub f. notanter sic concludit: *Vides igitur quod quævis natura parens sit omnibus animantibus communis, homo tamen jura naturalia solus intelligit, ab intellecta ratione prosequitur. Nam homo solùm jus & rationem naturæ verè participat & percipit: Bruta vero solo sensu ducuntur nec legem percipiunt, ex quo justè concluditur quod in homine solum jus sit naturale.* Hactenus Gartzia, qui an Ungepauri subjectum propugnet quilibet cordatus judicet.

14. Rationi autem primæ illius, supra th. 6 propositæ paulo post satisfacturi sumus. Contra 2. verò urgemus 1. quod ipse sic non solum juris naturæ subjectum faciat bestias, sed etiam omnium legum etiam civilium, cum & ipse concedat ex Thoma & Soto leges universas & jura omnia promanare ab æterna lege. Ergo etiam subjectum Juris Civilis erit furiosus & infans, qui tamen Jure Politico nunquam possunt dici aliquid facere, licet Magistratus Politicus illam constituant legem, contra quam furiosus & infans videntur facere. Prius ex *l 40. ff de R. J.* manifestissimè patet.

15. Et certè si staret illa universalis: Ubi lex æterna & ratio illa divina est, ibi quoq. Jus naturæ habet locum. Sequeretur non tantum bruta animalia esse capacia juris naturæ, sed & vegetantia

tantia, arbores, plantas imò omnia corpora naturalia tam cœlestia quam sublunaria, imo omnes creaturas, Angelos & Diabolos, quæ omnia ab æterno illo Deo justissima & sapientissima ratione in & ad suos instinctus, inclinationes & motus feruntur & ducuntur, esse subjecta juris naturæ & secundum jus naturæ facere quæ ea facerent. Ita enim Claudianus *in Ruff. lib. 1.*

— — — — Tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phæben alieno jusserit igne
Compleri.

Ex quo error supra th. 7. appositus Vacunæ palàm fit.

16. Fortasse autem hoc ipsum adhuc illis non erit adeo absurdum! Dicendum itaq; ad hæc non posse sic Imperatorem excusari & Ulpianum propter quorum autoritatem hæc omnia asserunt. Si enim Jus naturæ tam latè pateret, ut ad inanimata etiam se extenderet, certè Imperator & Ulpianus rectè non fecissent quod definitionem angustiorem definito efformassent, dum animalibus tantum juris naturæ conditionem attribuerunt.

17. Absurdissimum autem statuimus esse prædictarum rerum actiones & instinctus jus naturæ dici. Jus naturæ n. & omnes ex eo manantes & ad id vergentes actiones indeq; illi instinctus & inclinationes juris N. dicuntur, quorũ natura est ut aliter atq; aliter sese habere possint. Jus enim omne & omnis practica disciplina versatur circa contingentia, quæ se aliter atq; aliter habere possunt, secundum *cap 5. l. 6. Eth.* Quæ vero hisce contingentibus opponuntur sunt res necessariæ & æternæ, quarum necessitas est ut contingere aliter non possint, unde & nomen suum sortitæ sunt secundum *c. 3. l. 6. Eth.* Hæ practicis disciplinis non subjacent, sed Philosophiæ theoreticæ, utpote physicæ aliarumq; scientificarum disciplinarum; Quia itaq; prædictæ actiones & instinctus ad res necessarias referuntur, Jus propriè dictum ipsis tribui nequit.

18. Propositio itaq; Ungepauri: Ubi est æterna lex & ratio

tio ibi quoq; est jus naturæ; ita restringenda est: Ubi est æterna lex præscribens subjecto modum qui est contingens & aliter atq; aliter se habere potest. in iis etiam potest esse jus, si scilicet rationi illud obsequi possit. Contingentia enim & agibilia nulli competunt nisi qui audire rationem potest juxta *cap. ult. 1. Eth.* adeoq; tale subjectum oportet adhiberi, quod possit & jure & contra jus, justè & injustè, castè & non castè, temperanter & non temperanter agere, hæc enim sunt objecta prudentiæ. Quæ res autem ab æterna lege ita factæ sunt, ut necessariò sic moveantur, ducantur, trahantur ut aliter sese habere non possint, illæ scientiis & demonstrationi subjacent non prudentiæ, proinde etiam nunquam possunt dici jure vel contra jus fieri. Hinc non JCti vel Politici dispicere, an & quomodo in brutis hæc fiant, sed Philosophi naturalis est.

19. Autoritatem Ulpiani quod attinet eam non unanimiter explicant JCti. Ut enim vulgares expositiones hic missas faciamus *Turre cremata in cap. humanum genus l. ad art. 5.* dicunt. Jus naturale formaliter sumptum non cadere in bruta bene tamen materialiter, ad quæ dicit Covarruvia jus naturale quoad rationem juris, brutis minimè convenire sed procedere à natura speciali quæ est ipsa ratio: sed jus naturale quantum ad actus etiam brutis competere, & sic ut ipsius verbis utar, jus naturale formaliter sumptum quo ad rationem solis hominibus competit, quo ad actus vero etiam brutis.

20. Verum contra hanc sententiam ita argumentor: Ubi nulla participatio juris ibi nec materiale juris. Atqui in brutis nulla datur participatio juris. Ergo neq; materiale. Minor probatur. Ubi enim Jus & ejus participatio, ibi etiam præsupponitur ratio. In brutis nulla est ratio. Ergo. Fortassis autem Minor ab ipsis conceditur negata Majore. Monstrent igitur aliud fundamentum juris si sensum & potentiam sensitivam in brutis illud dicant. Atqui in his datur corruptio juris potius quam ipsum jus, præsertim etiam quod materiale juris nihil faciat ad distinctionē juris vel legis uti rectissimè colligit *Vatzquetz 1. 2. tom. 2 D. 157. c. 17. n. 4.*

21. Dudum igitur impropriè & analogicè JCtos fuisse locutos & ideo bestiis jus naturale attribuisse quod simulachra quædam & imagines quasi juris in illis reperiantur, uti Cicero habet, alii inter quos Rittershus. ad tit. 2. observarūt. Quo modo neq; Aristoteli contrariantur qui propter simulacra quædam Virtutum in bestiis ipsis Virtutem statuit. *1. Metaph. c. 1. a. de hist. anim. c. 1. l. 9. de hist. an. c. 5. 6. 7.* ita ut etiam *cap. 3.* expressè dixerit, animalia differre κατ' νοῦν, nempe quia simulacra harum rerum sunt etiam in brutis pari ratione.

22. Cum perspectum hactenus sit quodnam proprium juris naturæ subjectum haberi possit & debeat, quod solum hominem nos statuimus, nostrum postulat institutum, ut juris naturæ aliquam ponamus definitionem. Arripimus autem *Aristotelis lib. 5. Eth. c. 7.* qui jus naturale dicit, quod ubiq; eandem vim habet & non quia videtur vel minimè. Subjuncturi tamen sub disputationis finem aliam, quam communiter Scholastici tenent & propugnant.

23. *Dominicus à Soto in tract. de Just. & Jur. l. 3. q. 1. ar. 2.* ait: Jus naturale hoc loco per causam formalem & philosophico more definitum esse, quod an verum sit, nobis dubium videtur. Fatemur enim Aristotelem quidem rem ipsam satis explicare, à posteriori tamen definire, cum per proprietates quæ jus naturæ sequantur sit indigitata definitio, attestante Clarissimo Hornejo *l. 4. Eth. c. 3. num. 23.* & Henrico Julio Scheurl *dissert. 6. th. 23.*

24. Sed ut pensiculatiùs adhuc naturam juris, quo de nunc agimus, ad molorthum rationis expendamus, brevi videbimus, quænam de eadem sint sententiæ authorum.

25. Solent autem istæ sententiæ in quatuor ut plurimum ordinari Classes, quarum trium singulæ claros & famigeratos habent authores & asseclas.

26. Primas partes agit *Gabriel Vatzquetz Bellomontanus Theologus super 1 secundæ D. 150. c. 3 n. 22.* qui Jus naturæ animam rationalem esse dicit in se & ratione suæ essentiæ consideratam. Verba ejus asscribere lubet: *Quædam ita ex se mala sunt,* inquit,

& pec-

& peccata sunt, ut ex nulla voluntate etiam Dei eorum prohibitio dependeat, nec solum hoc ita esse ostendimus (disp. 97. c. 3.) Verum etiam monstravimus, multa ita esse ex se mala, ut eorum malitia præcedat secundum rationem omne judicium divini intellectus; hoc est non ideò sint mala, quia mala judicantur à Deo, quin potius ideo talia judicantur, quia ex se talia sint, ex quo illud efficitur ut ante omnem voluntatem Dei & imperium, imo etiam ante omne judicium, aliqua ex se sint bona opera vel mala. Cumq; omne bonum vel malum per ordinem ad regulam aliquam dicetur bonum vel malum, justum vel injustum, consequens fit ut ante omne imperium, ante omnem voluntatem, imo etiam ante omne judicium sit regula quædam harum actionum, quæ suapte natura constet, sicut res omnes suapte natura contradictionem non implicant: hæc autem non potest alia esse, quam ipsamet rationalis natura ex se non implicans contradictionem, cui tanquam regulæ & juri naturali bonæ actiones conveniunt & æquantur, malæ autem inæquales sunt, quamobrem illæ bonæ hæ malæ dicuntur.

27. Huic sententiæ Vatzquesii tali obviamus argumento contrario: Quicquid nec præcipit, nec honestatem aut malitiam ostendit, nec dirigit aut illustrat, nec alium legis effectum habet proprium, in eo essentia legis naturæ consistere nequit. Sed anima rationalis qua talis, neq; præcipit, neq; ostendit honestatem aut malitiam, nec dirigit aut illustrat, nec alium legis effectum habet proprium. Ergo in anima rationali qua tali lex naturæ non consistit, Major evidentia sua stat immota. De eo quo enim negantur effectus, de eo etiam negatur id cujus sunt effectus. Legis autem virtus est imperare, vetare, permittere, punire *l. 7. ff. d. legib.* Minor intelligi quam optime poterit quando illud explicatum fuerit, quid per verba qua tali innuatur.

28. Ad intelligentiam autem istius sciendum, naturam rationalem dupliciter posse considerari. Uno modo secundum se, id est quatenus ratione talis essentiæ, quam habet, quædam illi conveniunt, quædam disconveniunt. Altero modo, quatenus vim habet judicandi de his quæ sibi conveniunt & disconveniunt, mediante lumine naturalis rationis. Jam licet essentia ani-

mæ rationalis in se & primo modo considerata sit fundamentum & radix, ut convenientiam vel disconvenientiam ostendere possit, vel præcipere, formaliter tamen non ostendit nec præcipit sed mediante judicio. Eo ipso enim, quo terminos apprehendit & dijudicat, statim in propositionis alicujus veritatem, quæ lex naturæ esse potest, vel consensum præbet vel dissensum.

29. Altera in classe à plurimis haut vulgatæ doctrinæ viris *ipso etiam Meisnero in tract. de leg.* locantur, *Beurhusius, Timplerus, Keckerm.*, quasi jus naturæ existiment δύναμιν κεχωλίαν. Verum nos diligentius in istos inquisivimus autores & injuria maximè istos notatos deprehendimus. Nam ut *Timplerum l. 4. Met. c. 2. q. 2. l. 3. c. 1. q. 9.* taceam, qui nihil aliud dicit quam hominem naturalem habere facultatem intelligendi omnia ea, quæ ipsi intelligibilia, *Beurhusii* mentem *ex proœm. in part. 1. pædag. log. p. 17. & 20. & l. 2. c. 3. p. 322.* lubet apponere, cujus verba pag: 20 citata ita habect: *Etsi in mentibus notitiæ quædam reliquæ esse, & sic à natura ingeneratæ nec à sensibus acceptæ videantur quæ sint virtutum ac doctrinarum præsertim autem logicæ semina quædam: attamen consideres acutius, reperies eam esse potius cognoscendi facultatem, atq; à sensibus occasionem esse oblatam communem illam intelligendi vim, ut inde generalia illa constituerentur.* Ultima hæc verba, quæ tenebriosa quasi videntur p. 17. positis illuminantur. *Est*, inquit, *naturale lumen ratione utendi inveniendo, quo animus notitias rerum necessarias & universales non informatas à natura ipsa efficit, sed colligit facultate intelligentia sibi naturali & ingenerata.* Quam sententiam repetit *l. 2. Dial. c. 3. p. 322. Itaq;* inquit, *generalium & necessario universalium notitiarum non* ἕξις *sed* δύναμις *facultas nostris animis naturalis est.*

30. Quibus in verbis non adinvenire, Beurhusium δύναμιν κεχωλίαν statuere, ita ut mirer, quod tam sæpe falso sit allegatus à plurimis. Nam saltem dicit, non ingeneratas à natura nobis esse notitias, sed facultate intelligentiæ naturali colligi, quæ sententia & nostra est. Videant igitur quomodo Beurhusium pacificant, & Timplerum veniam precentur.

31. Keckermannum quod attinet, ille *Disp. 23. q. 13. Cursus Philo-*

Philosophici. non multum abludit ab his citatis, quamvis magis nobis facessat dubii, quid per potentiam impressam intelligat, quam habitum non esse dicit, nihil tamen ulterius certi determinat. Verba ejus sunt hæc succedanea: *Lex naturæ à primordio nostræ originis nobis impressa est, neq; ejus respectu potentia est determinata & vaga sed et penitus adstricta, ideoq; nullo modo habitus dicenda erit.* Verum cum non addat, quidnam illud sit per quod astringatur illa potentia, nulli in hac disputatione citatorum ex professo videtur contradicere.

32. Ponamus tamen esse novitiam quandam Beurhusii & Keckermanni sententiam de δύναμιν κριτικήν: Quæritur ergo an ista potentia ipsis sit realiter distincta ab ipsa anima an vero ratione. Posterius *Nominales & Scotistæ* asserunt. Imprimis *Greg. de Arim. l. 2. sent. d. 16. q. 3. Scotus ibid. q. 1. Zimara l. 3. de an. t. 146. Schekius 1. Top. loc. 1. & 2. Top. l. 9.* Prius *Thomas p. 1. q. 77. ar. 1. Toletus l. 2. d. an. q. 9. Conn. l. 2. de an. c. 3. q. 4 ar. 2. Zabar. 2. de an. q. 9. Timpl. l. 7. Emphych. c. 2. prob. 1.* Quamcunq; sententiam laudabunt, argumento §. 28. refutabuntur. Non ergo opus est hîc prolixè immorari.

33. Vidimus duas sententiarum classes, tertia sese nobis jam fert obvia, in qua stant viri doctissimi, indefessè pro habitu tanquā aris & focis pugnantes, quorum antesignanus *Alexander Alensis p. 3. Summ q. 27. membr. 2. per 3. artic.* quem ex parte sequitur *Bonaventura 2. distin. 39. ar. 2. q. 1.* ad ultimum (quamvis de hoc ultimo nonnulli dubitent, ipsum cum Alexandro facere, & potius pro nostra citant sententia) Ad quos fere multi ex modernis, Viri alias de meliori doctrina munificati doctrina accedunt, imprimis Celeberrimus Meisnerus *in tractat. de leg.* à nobis nunquam satis laudatus.

34. Pro sua sententia firmanda ita procedit: Quodcunq; animo inhæret permananter, vel est δύναμις, vel πάθος vel ἕξις testante *Aristotele l. 2. Eth. c. 5. & l. 1. M. Mor. c. 8.* Atqui notitiæ naturales inhærent permanenter. Ergo vel sunt potentiæ, vel affectus, vel habitus. Priora duo ipsi rationibus denuntiant & pro habitu concludunt.

35. Prima intuitione videtur hoc argumentum ipsis nimium quantum inservire, Verum nos in istud solvendum nullum laborem ærumnabilem impendendum deprehendimus. Ut enim nihil commonefaciamus de majore illam non simpliciter esse Aristotelis, cum de τῷ *permanenter* ne punctum quidem in ipso occurrat (quomodo enim aliàs Aristoteles τὰ πάθη potuisset in anima locare, cum affectus non sint entia permanentia sed cito transeant, ut ex *cap. 8. l. categ.* § 13. videre est.) Saltem hoc notari volumus, Aristotelem non nudè loqui, quasi universaliter velit hisce omnia comprehendere, quæ sunt in anima, sed ea tantum, quæ ad ipsius faciebant institutum & ad appetitum respiciebant, uti notat *Gabriel Biel 3. dist. 23. q. 1.*, qui dicit Aristotelem solùm loqui de anima ut appetitu in quo tantùm est virtus moralis. Vult igitur animam & potentiam appetitivam, nihil esse nisi passionem, potentiam vel habitum & hoc sufficere ad probandum, Virtutem esse habitum. Aliàs esset insufficiens in majore enumeratio partium; dantur enim & in anima plura, utpote conceptus, species rerum intelligibilium, operationes & hujusmodi alia, quæ nec affectus sunt, nec potentiæ nec habitus. Proinde cum Jus naturæ non dicatur ratione appetitus nec potentia nec habitus dici poterit: & ita major pro ipsis militare non poterit. *Vide Disp. 4. th. 46. seqq.*

36. Alterum argumentum quo nos debellare conantur, est hoc: Quodcunq; menti imprimitur & potentiis, superadditur in ipsa generatione ut illas dirigat & perficiat, habitus naturalis est. Sed Jus naturæ in ipsa generatione menti imprimitur & potentiis superadditur. Ergo.

37. Nos in argumento producto, concessa majore, negamus minorem, de qua tamdiu dubitamus, donec rationes stabilientes ipsam viderimus.

38. Nec est quod vocabulo naturæ nos mirum quantum urgeant, ideo quod Aristoteles hoc nostrum Jus *l.1. Magn. Moral. c.34.* δίκαιον τῇ φύσει nominet. Namq; non autumandum est τὸ φυσικὸν sive τὸ φύσει εἶναι idem esse ac actu esse implantatum quod supra *Disp. 4. §.16. & seqq.* evictum est.

39. Au-

39. Autumandum enim est, Aristoteli τὸ τῇ φύσει εἶναι idem esse ac habere proclivitatem, instinctum, appulsum, aptitudinem ad rem quampiam, uti & Hornejus ait *l. 4. c. 1. de habit. num. 10.* Et quid vereamur ita explicare? Habemus ipsum autorem Aristotelem, ex quo ipsius anima Piccartus, fidelissimus sc. Philosophi Interpres hoc in loco *pol. cit. p. 53.* hanc explicationem desumpsit, qui per τὸ natura constare nihil aliud intelligi debere ait, quam quod natura hominibus indiderit impulsum & appetitum civilem, id est appetitum & communem vitæ consuetudinem, quæ ὁρμὴ perdurat in hominibus, expletur tamen & perficitur ratione & prudentia humana, adeoq; opus est duce aliquo, qui, quo natura ferimur, nos eodem colligat.

40. Ideoq; eo res recidit ut cum *Soncinate 4. Metaph. q. 33. & Iavello 2. Metaph. q. 1.* dicamus: Dupliciter aliquid alicui inesse posse. 1. Secundum actum perfectum, id est, ut Iavellus explicat, quando aliquid semper & à principio nostri necessario inest, quomodo intellectus & voluntas homini naturaliter insunt, gravitas lapidi insita, levitas igni adnata est. 2. aliquid naturaliter inesse dicitur non quidem secundum actum perfectum, sed secundum potentiam saltem propinquam, hoc est quando in nobis aliquod est sufficiens principium ad quiddam producendum absq; expectatione principii extrinseci, dato quod talis cognitio non semper actu & à principio nostri esse, sit in nobis. Et hoc ultimo modo putamus Jus naturæ naturaliter inesse, hoc est, nos habere proximam potentiam cognitis terminis ipsa cognoscere principia istius juris.

41. Et hæc est sententia quæ adhuc numero quarta restat, & communior est scil: Scholasticorum Jus naturæ esse actum intellectus vel judicium rationis. Defensores hujus opinionis sunt *Thomas 1. 2. q. 49. ar. 1. Dominicus a Soto l. 1. de J. & J. q. 4. ar. 1. Gregor. de Valentia tom. 2. disp. 7. q. 4. punct. 1. Hornejus l. 4. c. 1. de habit.*

42. Nos non in bivio, ut Hercules, sed quadrivio derelicti quorumnam vestigia nobis legenda sint, summoperè titubamus

mus anxiis dubiorum fluctibus circumacti. Arduum enim est modo ab hujus, modo ab illius viri docti decedere sententia. Quocunq; tamen nos vertimus, veniam impetraturos nos, indubiè speramus, si id instructionis nostri & exercitij dubiæq; virtutis inquirendæ ergo fecerimus. Apprehendimus autem communiorem illam Scholasticorum sententiam, quæ Jus naturæ actum intellectus esse sentit. Et videtur illam Aristoteles quando contra Platonis innata principia disputat *2. post. cap. ult. 1. Metaph. c. ult.* fovere. Imo qui *textum 14. l. 3. de an.* vult propugnare nostram sententiam necessariò debet sequi, ubi dicit Aristoteles quod intellectus noster sit rasæ tabulæ instar, in qua nihil scriptum sit, omnia tamen inscribi possint.

43. Jamblichus quidem per γραμματεῖον intellexit non chartulam sed tabellam scriptam in qua nihil actu apparet scriptũ, sed habitu: Facit enim hanc differentiam inter chartam & γραμματεῖον quod charta nihil habeat scripti, γραμματεῖον vero habeat sed obscurè & quasi non perceptibile.

44. Dixit hæc Jamblichus ut conciliaret Aristotelem & Platonem. Plato enim voluit in intellectu puerorum esse rerum notiones admodum turbulentas, quæ postea procedente ætate elucescunt. Posuit enim de mente Aristotelis intelligere nostrum esse reminisci, quare Aristoteles comparavit intellectum non chartæ sed γραμματείῳ, ut innueret eum præhabere rerum notiones in obscuro.

45. Verum cum Aristoteles Platonis hanc sententiam, quod scire sit reminisci pluribus in locis *1. Metaph. c. 1. l. 2. polit. c. ult. 1. Metaph. c. ult.* exsibilarit, frustra itaq; Jamblichus laborat dum hos autores, qui consentire omnino nolunt ad consensum cogere intendit, uti loquitur celeberrimus Arnisæus in Physicis contra Sarnanum Thomæ & Scoti conciliatorem. Quod enim præterea hæc explicatio menti Aristotelis repugnet facile ex ipsius scopo & verbis additis elicitur. Scopus Aristotelis est ostendere intellectum ratione suarum operationum & intellectionem esse puram potentiam & nullum includere actum, quod declarat

clarat hoc simili à tabella desumpto. Vult itaq; intellectum ita esse in potentia ad intelligibilia & nihil habere actu, sicuti tabella in qua nihil descriptum est, nullam habet actu Scripturam, sed est in potentia ad omnem scripturam. Jam si Aristotelis simile aliter exponeretur quasi in tabella esset quid actu Scriptum, simile tunc aliud probaret quam quod debebat probare, debuit enim ostendere nihil intelligibilium actu inesse. Si jam in tabula esset quid Scriptum, etiam quid actu posset in intellectu esse, & sic non esset pura potentia. Idem ostendunt verba seqq additur enim in qua nihil scriptum existit actu ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. Jam si secundum Jamblichum hæc explicarentur, sensus fieret: Intellectus est instar tabulæ, in qua aliquid scriptum actu non tamen perceptibile, quod non actu Scriptum est, quo an aliquid possit dari absurdius illi videant qui hunc textum ad Jamblichi modum explicant.

46. Stabilimus autem nostram sententiam §. 42. propositam unico & evidenti argumento: Quicquid consistit in judicio, illud consistit in actu intellectus. Jus naturæ consistit in judicio. Ergo consistit in actu intellectus. Major clara est: Judicium enim ex tribus actibus intellectus est secundus. Minor probatur: Quicquid est propositio illud consistit in judicio: Propositionis enim formalis ratio est judicium, uti in Logicis demonstravimus, & videtur hoc ipsum innuere *Mendoza disp 8. s. 4.* Atqui jus naturæ sunt propositiones. Ergo jus naturæ consistit in judicio. Minor patet inductione: Hæc enim principia juris naturæ: Deus est diligendus, Parentes sunt honorandi, Bonum est faciendum, suum cuiq; tribuendum &c. Si quis propositiones vellet negare, diem negaret esse diem.

47. Unde concludimus cum Gregorio de Valentia l. supra cit. & Horneio à quo nec Heinricus Julius Scheurl discedit, Jus naturæ esse naturale rationis nostræ judicium seu dictamen, quo per lumen nobis ab æterna lege impressum & inditum evidenter cognoscimus ea esse facienda, quæ ita sunt recta & naturæ nostræ consentanea, ut ea negligere sit deforme & naturæ repu-

gnans : Contra vero ea esse vitanda quæ facere turpe sit & rationi nostræ minimè congruum.

48. Affectio juris naturæ potissima est *Immutabilitas*, quæ in definitione Aristotelica etiam innuitur vel saltem ex ea deducitur, quatenus Arist: asseruit Jus naturæ esse quod ubiq; gentium obtineat nec ideo valeat quod ita decretum sit vel non decretum.

49. Huic nonnulla videntur obstare ; Nam 1. Si Jus naturæ esset immutabile, qua ratione igitur sæpius mutatum esset, & adhuc hodiè sæpe homines facto ipso testarentur juris Naturæ mutabilitatem, unde enim latrocinia, furta, injuriæ, si daretur jus ejusmodi immutabile ? hæc omnia enim contra judicium rectæ rationis pugnant. Hinc etiam apud Resp. certas multa fuêre concessa quæ tamen pugnant contra jus naturæ & sic mutabilitatem inferunt. Sic apud Lacedæmonios eduliorum furta permissa fuisse constat, quæ tamen jure naturæ prohibita sunt, ita & hi & Cilices ex rapto vixerunt quemadmodum apud Locrenses Ætoles & Acarnanes prædationes licitæ, uti ex *Plutarcho in Lycurgo, Xenophonte de Rep. Lacedæmoniorum & Thucydide lib. 1. constat.* Testis etiam est usitati apud Ethnicos incestus sine crimine *Arnobius lib. 8. contra gentes*, & eorum catalogum texit *Alexander ab Alexandro lib. 1. geneal. dierum c. 24. Hieron. in Jovian.* ex quibus præcipui sunt Assyrii, Medi, Mauri, Æthiopes, Arabes & de Persis testatur *Cœlius Rhodiginus l. 8. c. 8. Lucanus l. 8. inde Catullus*

Nam Magus & Matre & nato nascatur oportet
Si vera est Persarum impia relligio

& *Ovidius lib. 10. Metamorph.*

——— Esse feruntur
In quibus & nato genitrix & nata parenti
Jungitur & pietas geminato crescit amore.

50. Neq; hoc videtur prætereundum esse. Nam libertas est juris naturalis *l. si quod 64. ff d. Condict. indeb.* & *§ 1. Inst. de Jur. Pers.* Atqui libertas fuit sublata servitute *§ servitus 2. d tit.*

51. Sic jus naturale præcipit ne quis alterius damno locupletetur *l. jure ff. d. R. J. & l. 14. ff. d. condict. indeb. & l. 17 §. 4.*

d. insti-

d.institor.act. quod tamen fit in usucapione quæ aufert alteri quod suum est. Unde etiam vocatur impium præsidium *in Nov. 9.* quo etiam referes præscriptiones quando retinetur alienum invito domino.

52. Hoc jam ut intelligatur prænotabimus I. per mutationem legis naturæ non esse intelligendam 1. *interpretationem & declarationem.* Declaratio autem legis tunc est quando docetur eam in aliquo casu non valere, ut quando Eunuchus contrahens, solvitur à matrimonio, declaratur, ad illum nec legem de conjugio, nec de divortio pertinere.

53. Neq; 2. *subrogationem seu particularis legis inde deductæ additionem,* id enim esset concedere præmissas nec tamen conclusionem velle admittere.

54. Non 3. *Determinationem,* qua, quæ juris naturæ negativi sunt, lege positiva ad unam partem restringuntur, non aliter ac omnia primo erant communia jure scilicet negativo, h. e. non quidem erant actu divisa ita tamen sese habeant ut potuerint dividi, imò ut postea accedente consensu & ita jure positivo dividerentur. Quod enim *Scotus 4. dist. 14. q. rart. 1. & Gabriel p. 2. in prim.* asserant ante lapsum fuisse præceptum, dubium est.

55. Sed 4. Mutationis nomine intelligimus, vel 1. *abrogationem totalem,* vel 2. *dispensationem* quæ est cum quis vel eximitur per privilegium à principio ut non obligetur qui aliàs obligatur, vel postmodum in certo casu liberatur ab obligatione qua cœteroquin tenebatur sicut id rectissime ex *Richardo, Durando, & Hervæo docet Gregor. de Valent. disp. 7. q. 4. p. 6.*

56. Hoc modo Jus naturæ est immutabile. Nam veritas Dei & Justitia Dei non mutari potest. Atqui lex naturæ est Veritas & Justitia Dei *ex c. 1. & 2. ad Romanos.* Ergò mutari nequit. Et qnomodo quæso mutari posset? Ex ipsis terminis enim vel obligatio ab unoquoq; sano percipitur, vel saltem non magno negocio conclusiones ex primis propositionibus ex terminis cognitis eliciuntur. Utroq; modo homo qui saltem integræ mentis est obligationem in conscientia sentit. Illi ergò contradicere quandiu hamo manet impossibile est.

57. Ita autem immutabile est ut neq; Deum legem naturæ mutare posse saniores Scholastici & Philosophi contra *Alb. Magn. p. 1. tr. 20. q. 800. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. Hervæum 1. dist. 43. q. 3. a. 3. & Valent. in 1. 2. summæ cum Occamo l. 2. dist. 19. ad 3. Scoto l. 3. dist. 27. q. un. Bonaventura 1. dist. 37. q. ult.* concedunt. Ratio hujus rei est quod lex naturæ bonum morale importet, cujus contrarium cum sit malum, à Deo tanquam summò bono vel introduci vel ad id homo obligari non potest. Non ergò impotentia est in Deo, sed in objecto cum divina justitia collato, uti aliàs benè *Becanus Theol. Schol. n. 1. tr. 1. c. 17. q. 4.* meliusq; *Augustinus l. 26. contra Faustum* hoc explicat.

58. Ubi nihil efficiunt quæ hoc loco solent objici. Quod enim Deus præceperit Abrahamo ut filium occideret, & Israëlitis ut ab Ægyptiis vasa argentea peterent, secumq; auferrent, non fuit contra jus naturæ. Licuit n. Abrahamo occidere filium, non quod homicidium sine culpa posset perpetrari, sed quod homicidium id ipsum non erat. Nam non privata sed ejus authoritate seorsim, qui omnibus mortalibus cum vult & per quem vult pœnam mortis potest infligere, suscepit. Ita & id quod repetebant Israëlitæ, non invito Domino auferebatur. Deus enim à quo omne donum bonum *Jac. 1.* utpote Dominus Dominantium *Apoc. 17. & 19.* jubebat, ut id quod ad ipsum summo jure spectabat, repeteretur. Sustulit itaq; materiam legis naturæ uti *Thomas p. 1. q. 19. art. 7. ad 3.* loquitur. Videatur hîc *Hornejus f. 610.*

59. Neq; difficile jam erit suprà positis satisfacere. Ad 1. alii respondent Jus naturæ dupliciter posse considerari, vel ratione totius speciei vel ratione hujus aut illius Individui. Priori modo judicant immutabile, non autem posteriori. Neq; hoc mirum putant cum etiam alia maximè immutabilia non raro in quibusdam singularibus deficiant. Exempli loco ponunt generationem quæ est actus omnium hominum, quæ ex horum mente hominibus in se & sua natura competit, non tamen statim in omnibus inveniatur neq; inde principia Physica mutentur, cum scientia universalium sit.

60. Ve-

60. Verùm habemus quod in hac solutione desideramus. Species enim 1. cum non sit suppositum, Juris naturæ nisi ratione Individuorum non est capax. 2. Quod est immutabile ratione speciei, est immutabile etiam ratione Individuorum, hæc enim essentialiter speciem includunt, neq; 3. generatio est actus hominum sed animalium, neq; 4. mutatur quando hic vel ille homo generari nequit, sufficit enim quod potentiam generandi obtineat. Deniq; generationem velle principium Physicum dicere itidem absurdum est, neq; ad rem quicquam facit quando dicitur scientiam esse Universalium.

61. *Arnisæus f. 62.* melius respondet: *Docuit Aristoteles,* inquit, *5. Eth. c. 7. principia juris naturæ esse immutabilia, nonnunquam tamen à malitia hominum perrumpi, quemadmodum naturale est, ut dextra manus sit agilior & pes dexter dum inambulare incipimus primus moveatur, ex quo æquales scalarum ad aditus templorum gradus facere fieri jubet Vitruvius l. 2. Architect. ut dextro & non sinistro pede limina prius tangamus: Interim pravâ consuetudine & præpostere abusu naturalis dispositio sæpè inducitur & sinistrum mutatur in dextram, quod de Jure naturali hic quoq; factum fuisse statuimus apud eas gentes quæ partim ignorantiâ partim malitiâ naturalis lucis scintillas extinxerunt.*

62. Nos existimamus aliud esse legem mutari, aliud legem violari & transgredi. Legem naturæ violasse & quotidiè violare quamplurimos, certos interdũ etiam populos nõ negam9, quæ tamen violatio & transgressio legem ipsam mutare non potuit. Vis enim tantummodò est quæ juri infertur, non juris aliqua mutatio ut hac ratione quàm facillimum nobis sit ad § 49 respondere.

63. Circa § 50 argumentum disputatur, anne servitus sit contra naturã. Imperator quidem hoc expressè asserit *§. 2. de jure Personarum,* & *Florentinus l. 4. ff. de statu hominum.* Aliter tamen Aristoteles sentit *l. 1. Pol. c. 3.* cui *Vasquius l. 1. controv. Illast. c. 11. n. 4.* malè dicam impietatis scribit. Nam 1. deteriora & imperfectiora suâ naturâ serviunt melioribus & perfectioribus, id

quod fatetur *Halicarnassaeus in Praef. Orig. Rom.* Naturæ lex, inquiens, est omnibus insita, quam nullum tempus dissolvit, deterioribus semper imperare meliores. Sic videmus bestias homini, fœminas viris, & in homine corpus animæ, appetitum rationi servire. Etsi enim in quibusdam corpus animæ videtur imperare, tamen hoc inde est, quod malè & præter naturam affecti sint. δεῖ δὲ, inquit Philosophus, *σκοπεῖν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι μᾶλλον τὸ φύσει, καὶ μὴ ἐν τοῖς διεφθαρμένοις.* 2. Quod alicui utile est & facit ut melius se habeat, id non est contra naturam. At hominibus quibusdam utile est servire & sub servitute etiam melius se habent. E. Minor multis modis posset probari. Ex hoc unicò tamen, quod sub initium reviviscentis Ecclesiæ amore religionis certatim servi manumissi sunt, vel apparet, quantum dissideant servilia ingenia à liberis. Nam cum præcipiti illa & & promiscua manumissione statim exorta est Xenodochiorum & Nosocomiorum copia, in quæ detrudebantur, qui per impotentiam mentis liberis alendis at parando victui non sufficiebant. Hinc Valens edicto coactus fuit in servitutem retrahere eos, qui ostiatim obambulabant, & quod industria se alere nescirent, ad stipem manus porrigebant. *Bodinus l. 1. de Rep. c. 5.*

64. Hanc controversiam tamen h. l. decidere cum nimis esset prolixum, hoc effugio non utimur, sed illud quod *Covarruv.* inculcat *in c. peccatum §. 11. de Reg. Jur.* & haud obscurè habet *Thomas 1. 2. q. 94. art. 5.* urgemus, Jus naturæ enim duplex est, positivum sc: & negativum. Positivum est quod positivè aliquid præcipit vel prohibet v: g. Parentes esse honorandos. Negativum est quod nihil aliqua de re statuit nec præcipiendo nec profitendo, sed id potius omisit, commisitq; legis humanæ dispositioni non aliter ac cum Paterfamilias moritur & filios relinquit hæredes. Hæreditas quidem eis ex Testamento communis est, sed negativè non positivè, ideò nihil prohibet, quo minus inter se eam dividant, & una pars unius, altera alterius efficiatur propria.

65. Jus naturæ ergò negativum impropriè est jus, hoc enim

enim obligat & præcipit formaliter; Jus naturæ autem negativum indifferentiam ponit. Arqui libertas & servitus ex Peripateticorum & Philosophorum mente ad jus naturæ negativum spectat, quomodo etiam explicandus est Imperator *l. 46. ff. de condit. in deb. & §. 2. de Jure Person.* Hinc *Seneca l. 3. declam.* Natura neminem fecit liberum, neminem servum, imposuit fortuna nomina hæc singulis.

66. Non malè etiam hoc modo dubium tollitur, si dixerimus omnes esse liberos nullâ suppositâ culpâ & injuria. Quod si tamen vel culpa vel injuria intervenerit, mutatio aliqua fit ab extrinseco & sic tollitur libertas & ipsa materia juris naturalis, uti Thomas loquitur, non tamen ab intrinseco ut ita lex ipsa mutetur. Jus enim naturæ concedit ut justo bello me defendam, licebit ergo mortem servitute commutare, unde etiam servi dicti fuerunt à servando, teste ipso Imperatore.

67. Argumentum §. 51. nî fallor optimè solvit Molina *tract. 1. de Just. & Jur. Disp. 4. n. 7: Primum est,* inquit, *jus positivum humanum efficere posse ut aliquid liceat, quod secluso tali jure, esset contra jus naturale, non quasi jus humanum præjudicare posset juri naturali, ipsum in aliquo derogando, sed quod possit apponere circumstantiam ex parte objecti, qua id desinat de jure naturali quod foret seclusa ea circumstantia. Exemplum accommodatum habemus in l. præscriptionis qua ei, qui bona fide possedit aliquid alienum toto tempore dato ad præscribendum fas est, transacto eo tempore, retinere illud, esto resciat fuisse alienum, quod tamen seclusa lege præscriptionis esset contra jus naturale. Ut vero dilucidius id intelligas, animadverte de jure naturali esse, non retinere alienum invito Domino liceat retinere alienum dum persistit alienum, quod esset præjudicare juri illi naturali, sed princeps potestatem habens jure naturali spoliandi subditos Dominio rerum suarum, illudq; in alios transferendi, quando id bono Reip. viderit expedire, eo ipso, quod ad rescindendas lites & quasi in pœnam negligentiæ propriorum Dominorum, ne id in posterum publicam tranquillitatem turbaret, legem justam præscriptionis condidit, qua statuit, ut qui bona fide rem aliquam certo quodam*

dam

dam tempore poßideret, compararet Dominium illius priorq́; Dominus illud amitteret, apposuit circumstantiam ex parte objecti, qua id, quod seclusa ea lege esset alienum, ac proinde cujus retentio esset contra jus naturale, stante ea lege neq; alienum sit neq; illius retentio sit contra jus naturale. Hactenus Molina fol. 5.

68. Hoc unicum, an & quomodo princeps dicantur solutus legibus, addimus, ut pote de quo non omnes omni tempore idem statuerunt. Æschylus certè eò collimare videtur, quod planè exlex sit, quando ait: τραχὺς μόναρχος κ᾽ οὐχ᾽ ὑπεύθυνος κρατεῖ, Rex est suo utens jure, nullo obnoxius. Inde etiam apud Salustium extat: Impune quodvis facere, id esse regem esse: Pro qua thesi astruenda nonnulli citant *l. princeps ff. de Legib.*

69. Ita etiam Antigono Asiæ regi assentator quidam persuadere voluit, *Omnia regibus licere*, innuens; cui tamen Antigonus regessit; Barbaris quidem & Tyrannis omnia licere, sed non regibus. Unde *l. 4. Cod. de LL* dicit: Dignam vocem esse Majestate regnantis legibus se alligatum principem profiteri.

70. Certè legibus naturalibus non esse solutum principem extra controversiam esse videtur. Quò usq; enim se extendit judicium rationis hominis, eousq; etiam se extendit jus naturæ. Atqui ad Principes & Reges etiam se extendit judicium rationis hominis. E. Consequentia ex hac ipsa Disputatione nota est, ut & ex *Rom. 2, 14.* ubi gentes quæ legem (sc. revelatam à Deo uti Judæi) non habent, naturâ dicuntur facere quæ legis sunt, ut sic ipsis lex sint & ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, Quò & *l. 9. ff. de Just. & Jur.* referenda est.

71. Legibus etiam fundamentalibus Rex 2. tenetur. Cum enim mutuâ cum optimatibus regni conventione jurejurando interposito Rex antequam confirmatur promittat, & illas sartas & inviolatas velle conservare, est quod promissis stet. Quo tamẽ Violato promisso desinit fundamentum relationis, quâ vel ipse rex in esse regis, vel subditi in esse subditorum constituebantur.

72. Legibus etiam Civilibus communibus obstringitur propter

pter universalitatem quâ cum ipse non eximatur, est etiam quod se iis profiteatur subjectum, quod *l. 4. C. de LL.* videtur exigi.

73. Ubi tamen notamus *ex Thoma p. 2. q. 91. art. 5. & Gregor. de Valent. ibid.* à lege aliquem posse solvi dupliciter. Nam uti duplex est vis legis, ita etiam solutio, coactiva scilicet & directiva. *Coactiva* est cum rigore & metu pœnarum a superiore infligendarum, ita ut nisi quis pareat gravem incurrat animadversionem. *Directiva* autem est quando lex agenda præscribit, & ad agendum obligat, non per rigorem & comminationem pœnarum sed ideo quod quis rectam rationem hoc suadere animadvertat. Jam nos de directiva vi & obligatione loquuti fuimus, non autem de coactiva: Cum enim in Rep. nullus sit superior etiam Rex qua talis cogi nequit.

74. Distinctionem hanc rejicit *Hunnius vol. 1. variar. resolut. Disp. 1. ad Treutlerum D. 7. th. 29.* fretus 1. quod *l. 50. ff. de legat. 2.* quornndam legum observantia etiam non sit liber. 2. quod invitus princeps cogi possit, v. g. ut Cæsar compareat coram Palatino. 3. quod hæc distinctio non habeatur in jure, sed refellatur *l. 31. de ll.* Verum frustra. Nos enim 1. de generalibus civilibus tantum legibus loquimur 2. loquimur de directione, ut & de Rege non simpliciter tali sed cujus potestas absoluta.

75. Lex autem 31. vel agit de vi coactiva, vel indefinitè ibi Imperator loquitur & intelligit leges pro subjecta materia scilicet *l. Juliam & Papiam* de quibus citatus titulus agit.

76. Tantum de Jure Naturæ, nunc verbum ut titulum disputationis promissæ tueamur, de Jure Legitimo subjicimus, definimusq; quod non natura, sed lege & institutione comprehensum est.

77. Ubi dubitatur an jus gentium ad jus naturæ an vero ad legitimum referri debeat. Certè Imperator jus naturale & gentium non sejungit *l. 31. bona fides ff. depositi l. 9. ff. de J. & J. § & quidem. ac §. singulorum. Inst. de rer. divis. & §. penult. Inst. de J. N.* Cui tamen videtur contradicare *§. ult. Inst de J. & J.*, ubi expressè juri naturæ contradistinguit & jus triplex facit, natu-

rale, gentium & civile, ut & *l.1.§ 4. ff.de J. & J.* Ubi dicit quod jus gentium sit quo gentes humanæ utuntur, quod à naturali recedere facile intelligere licet: quia illud omnibus animalibus, hoc solum hominibus inter se commune sit.

78. Communiter respondetur modo generaliter modo specialiter his vocibus uti Imperatorem, quod libenter concederem si modo exponerent, qnomodo jus gentium naturali oppositum deberet explicari.

79. Certè Imperatoris distinctio ex parte subjecti nulla est; Ostensum enim fuit, nullum jus propriè dictum in animalia bruta cadere. Et si improprietas quædam urgenda, non tam bruta quam omnia entia creata ab Imperatore debuissent juris naturalis definitione includi. Inde vim propulsare *l. 3. ff. de J. & J.* ad jus gentium refertur. Atqui & hoc brutis commune est, ut non videam quomodo ipse Imperator in proprio loco discrimen observarit.

80. *Dominicus a Soto l. 1. q. 5. art. 4.* ait, jus naturale acquiri sine discursu, gentium vero cum discursu. Verum 1. illud quod cū discursu infertur evidentē habet necessitatem Discursus enim est qui aliquibus positis necessario aliquid colligit eo quod posita sunt *l. 1. prior c. 1.* Atqui quædam ex jure gentium non habent evidentem necessitatem. E. Servitus enim *l. 4.* ex jure gentium ut & manumissio traducta est sed quamnam necessitatem includunt? 2. sine discursu quædam juris gentium innotescunt, colere enim Deum, parere parentibus. *l. 2.* vim & injuriam propulsare. *l. 3.* juris gentium sunt quæ tamen ex terminis cognoscuntur.

81. Multo minus *Thomæ* explicatio habere locum potest quod jus gentium supposita societate humana obligaret, jus naturale autem quod obligaret etiamsi nulla societas esset, quo etiam nonnullorum distinctio referenda est inter jus primævum & secundarium vel inter absolutum & respectivum uti *Valentini Riemers* quod posterius tantum supposita communitate procedat, societas enim cum sit accidentalis humanæ naturæ ad jura quæ naturalis ratio suadet per accidens se habet. Neq;

82. Neq; *Vatzquetz Disp. 157. c. 7.* mentem Imperatoris assecutus fuit, qui ita distinguit quod jus naturæ sit præceptivum, jus gentium vero permissivum. Nam jus formaliter præceptum, innuit, ut etiam *Thomas 1. 2. q. 9. art. 9.* autumat legem dictam à ligando quod proprium sit legum ligare homines, quamvis rectius à legendo deduxerit *Varro* non quod ex scripto legatur ut dixit *Isidorus l. 2. Etymol. c. 10.* sed à legendo quasi à deligendo *Cic. l. 1. de ll.*

83. Nos igitur salvo tamen aliorum judicio existimamus nullam hactenus explicationem potuisse assignari quæ rem bene explicaret ut veritatis insuper patrocinium posset suscipi. Nos autem Jus gentium Justinianeum neq; simpliciter ad naturale Aristotelicum neq; ad legitimum referimus, sed quædam ad hoc, quædam ad illud.

84. Affectio juris legitimi apud homines est *mutabilitas.* Cum enim ab homine initium ducat qui infinita prudentia præditus non fuit, ut prævidere omnes casus & circumstantias potuerit, unde circumstantiis mutatis etiam ipsa lex mutari debet. Non tamen facile novæ leges introducendæ facilis enim digestu uniformis alimonia inquit *Macrobius lib. 7. Saturn.* Cibi autem insoliti stomacho sunt noxii *Guevara Horol. princ. l. 3. c. 2.* vide *Aristot. l. 2. pol. c. 9.*

85. Distinctio juris legitimi nota est, qua aliud æquum aliud strictum statuitur.

86. Strictum jus τὸ ἀκριβοδίκαιον est quod generaliter leges positas sine mitigatione retinet, etiamsi propter circumstantiam probabilis erat ratio mitigationis. Æquum vero jus τὸ ἐπιεικὲς est quod rigorem juris scripti in casu minus principali mitigat. ὁ ἐπιεικὴς, ait Arist: *l. 5. Eth. c. 8.* ἐστὶν ὁ τῶν μὲν δικαίων προαιρετικὸς καὶ πρακτικὸς, ἀλλὰ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον μᾶλλον δὲ ἐλαττωτικὸν καὶ ὑπερέχων τὸν νόμον βοηθὸν.

89. Ignoscendum igitur interdum. Unde Orator Atheniensis: τοὺς τῶν ἄλλων ἀτυχίας ἐπιβλέπων καὶ σεαυτὸν, ὡς ἂν ἄνθρωπος ὢν ὑπομνήσκε.

1. *An lex ferenda sit de abrogandis circa religionem disputationibus?* N. *contra Bodinum l. 4. de Repub. c. ult. p. 754.*

2. *An in legibus civilibus ea quæ juri Canonico videntur obesse corrigenda & omittẽda sint? Aff. Petr. Greg. l. 18. c. 6 §. 8. Nos distinguimus.*

3. *An mare sit liberum? Negamus contra Hugonem Grotium.*

4. *Thuanus lib. 21. hist. & literæ Ferdinandi apud Goldast.* in Politischen Reichshändeln *part. 5. c. 2. Videntur colligere Lutheranos Electores Imperatorem eligere non posse; sed invita veritate.*

5. *Speculum Saxoniæ l. 3 art. 58. ait:* Der Schencke des Reichs *(id est Rex Bohemiæ)* hat keine Wahl/darumb/daß er nicht deutsch ist. *Quæritur, an hisce fides sit habenda?* N.

Præstantiss: & Politissimo Dn. Respondenti.

MOx ubi præpandit tentoria Jure nepoti
Justitiam sordes, Jus, nihil omne putat;
Sic nostro & Juris marcescunt tempore flores,
Vix ut naturæ vel positum valeat.
At saga complures gestent, tu noscere suda
Juris naturam, perge & amare togam.

M. Johannes Carnemus Susat.

ἀναγ. 2.

1. Gerardus Clotsius
Celsos gradus itur.

2. Gerardus Clotsius Sousato-Westphalus.
Ausus secutus gloria sudores postulat.

AD celsos *virtute* gradus, *multoq; labore*
Itur, Sudores postulat *altus honos*.
Postulat *altus honos* sudores, gloria *certè*
Contingit nullũ absq; labore virũ.
Numinis instinctu melioris, amice, secutus
Ausus *laudatos, continuabis opus*
Continuabis iter Virtutũ, habebis honores,
Ibis & ad celsos, *Sympatriota*, gradus.

Joann. Goës Westphalus.



